



old
Museum. copies right.

1156

17 Jüel

2a
(242)

DISPUTA-

TIOFEUDALIS

SEXTA,

DE SUCCESSIONE FEUDI,

QUAM,

Auxilio SS. Trinitatis,

PRÆSIDE

VIRO

Excellentissimo, Clarissimo,

DN. DOMINICO ARUMÆO,

I. U. D.

Publicè

In auditorio Iureconsultorum

defendet

DANIEL VENEDIGER

VRATISL. SILES.

Ad diem 14. Februarij

Horis consuetis.



JENÆ,

è Typographéo Christophori Lippoldi,

ANNO MDCIII.

V I R O

Excellentissimo, Clarissimo, Consultissimoque,

Dn. Iacobo Schrötero. I. V. D.

Præceptori, & fautori meo observando,

E T

*Nobilissimo, cæterisque eruditione, varioq; virtutum,
genere præstantissimis,*

Dn. Friderico à Wangenheim.

Dn. Andrea Langio.

Dn. Matthiæ Bilizero.

Dn. Laurentio Volccio.

Dn. Nicolao Henelio.

Dn. Heinricho Schlichtekrull.

Dn. Ioanni Fases.

Meis

Amicis, commensalibus, conterraneis,
& contubernali,

Observantia, gratitudinis, & amoris ergò

offero & dedico

RESPONDENS.



Disputationum Feudalium

S E X T A

D E

S u C C E S S I O N E

F E U D I,

Respondente,

DANIELE VENEDIGER

VRATISL. SILES.

Thesis prima.



TERTIUS ACQVIRENDI FEU-
da modus est Successio: qua duplex est, Te-
stamentaria scilicet, qua ex testamento, &
Legitima, qua ab intestato defertur.

§. final. Inst. per quas person. cuiq; ac-
quirit.

II.

In feudis verò regulariter testamentaria locus non est, c. un. de succession. feud. Feudum quippe in rebus alienis consistit, de rebus autem alienis nemo testari poterit. 1. verbis legis ff. de V. S. Ulp. in fragment. tit. 20. quæ ratio tam agnatorum, quàm Domini jus implicat; hujus quidem proprietatem, illorum, in spe ex investitura acquirentis primi questum jus, quorum utrumq; sine facto ipsorum tolli, vel interverti non debet. l. id quod nostrum de R. J.

M 3

Usq;

III.

Usq; aded, ut nec relictū feudi, si de eo testatus fuerit Vasallus, aestimatio, ei cui relictum est, debeat.

arg. l. cum servus 39. §. i. de legat. i. ubi hæc regula traditur, quòd quando quid testamento, cujus commercium ei, cui relinquatur, non est, tum nec debetur ejus aestimatio. Feudi a. commercium, non esse ei, cui relinquatur, ex superiore Thesi constat, nec enim extra familiam alienari poterit, aut extraneus ejus possidendi jus habet. c. i. de success. feud. c. i. §. donare. qualit. olim feud. poter. alien. atq; hanc sententiam secuti sunt in d. §. donare Bl. n. 7. Alvarott. n. ii. Afflict. n. 4. Clar. in §. feud. q. 40. n. 4. Rol. à Vall. consil. 71. n. ii. & 20. Vesemb. consil. 70. n. 13. Geil. z. obs. 154. n. 13. Grass. in §. legatum q. 14. n. 22. Vult. c. 9. n. 72. de Feud. Fachin. 5. controvers. 37. *Etiam si ad pias causas legatum sit.* d. §. donare. Ecclesia enim, quæ juris, justitiæq; cultrix est, non debet cum aliorum jactura locupletari. Novel. 7. c. 6. & si Vasallus pius ac liberalis esse velit, de suo non etiam de alieno esse debet. Rosenth. 7. q. 3.

IV.

Excipitur feudum novum; de eo enim licitè testabitur Vasallus, Clar. in §. feudum q. 40. n. 6. Hartm. Pistor. q. 4. n. 23. & seqq. Borch. c. 7. p. 2. n. 5. *Item, feudum alienabile, quale est feudum, quod datum est Vasallo, ejus heredibus, & quibus ipse dederit, vel quod datum est Vasallo, & heredibus quibuscunq;* arg. regulæ vulgaris, quòd ubi alienatio permessa est, censetur quoq; permessa heredis institutio. l. si quis prioris §. cæterum C. de secund. nupt. Rol. à Vall. i. consil. 42. n. 7. cum seqq. Jul. Clar. in §. feudum. q. 40. n. 2. Borch. d. c. 7. n. 6. p. 2. de feud. *quin & de feudo antiquo testari poterit, si dominus ejus testamentum ratum habuerit, nam, ut ait Curt. p. 4. n. 127. de Feud. talis ratificatio trahitur retrò, & mandato equi paratur,* juxta l. fin. C. ad Macedon. quod tamen rectè ex audit Martin. Laudens. in d. c. i. §. donare quoad præjudicium domini

mini ratificantis, non etiam agnatorum, quod in tantum pro-
cedere existimo, ut nec Princeps in præjudicium agnatorum
testamentum sui Vasalli confirmare possit. Vt enim injurio-
sum est, indignumq; majestate regnantis, privatorum dispo-
sitionibus quicquam derogare, cum publicè expediat supre-
ma hominum judicia exitum habere, l. 5. ff. quem. testam.
aper. l. 1. C. d. SS. Eccl. Ita ne leges in privator. testamentis lo-
cum habeant, permittere non debet, arg. l. nemo potest. de le-
gat. l. 1. 3. C. de Testament. aut jus alijs quasitum adimi factò
alterius concedere l. id quod nostrum de R. J. quò spectat.
quod Socin. 2. consil. 164. respondit, quòd plenitudo potesta-
tis extendi ad malum & injuriam aliorum non debeat, aliàs
enim non potestatis, sed tempestatis plenitudo esset. Borch. d.
c. 7. p. 2. n. 7. de Feud. Rosenth. c. 7. concl. 7. Mozz. de natural. n. 85.
addidit superioribus, Bl. in Auth. rogati C. ad Trebell. Roland.
à Vall. 1. consil. 2. n. 33. & 3. consil. 10. n. 30. feudum francum,
quòd nulla ratione recipi potest. Nam etsi feudum francum,
in eo à proprià naturâ feudi degeneret, quòd pro eo servitia
non præstentur: tamen in alijs propriam feudi naturam reti-
net, per vulgatam regulam, quæ ita habet: quando feudum in
uno aliquo capite alteratur, in capite alterato propriam feudi
naturâ amittit; in alijs verò capitibus non alteratis, propriam
feudi naturam servat, & regulatur secundum omnes leges,
& consuetudines feudi. c. un. de feud. non habent. propr. feud.
natur. Fr. Curt. p. 1. q. 6. de Feud. Zas. p. 12. de Feud. Hannet.
4. de Feud. ult. Jul. Clar. §. Feudum q. 16. in fin. Rol. à Vall.
1. consil. 2. n. 135. & 3. consil. 50. n. 115. Dispositio enim limita-
ta, limitatum producit effectum. l. in agris & ibid. Alber.
de Rosat. ff. de acquir. rerum domin. cum simil. alleg. per
Traq. in tract. Cessante causa. p. 1. n. 142.

V.

Ab intestato verò, etsi ex juris communis dispositione

M 3

triplex



triplex succedendi ordo, ascendentium nimirum, descendentium, & collateralium, reperitur: Nov. 118. Jus tamen Feudale duobus posterioribus contentum est, nec priorem agnoscit. c. 1. in pr. de nat. success. feud. Mozz. de subst. Feud. num. 7. Sonsbec. p. 9. n. 45. Borch. c. 7. p. 2. n. 9. de Feud. Hartm. Hartm. 2. pract. obs. 47. tit. de Feud. Ratio ex Duar. c. 11. n. 10. de Feud. hac est, quoniam cum antiquissimo jure in feudis nulla esset successio, & rarius eveniret filios ante parentes suos decedere, & ad successionem eorum, ita rarius parentes vocari, factum est, ut feuda, quoad ascendentes, pristinum suum statum omnis successionis expertem retinuerint. Quanquam nec sequentes improbabilis sint, videlicet eum qui feudum accipit, sibi & liberis non etiam parentibus prospicere. Cujac. in tit. 1. Feudor. 1. Hotom. in c. 1. de nat. success. feudi in pr. Dn. quia feudum datur ob servitia: ad servitia verò servanda liberi indies magis idonei, parentes verò inidonei redduntur.

VI.

Excipiuntur duo casus: primus est, quando pater Feudum filij nomine resutavit, ut filius investiretur, tunc n. filio, vivo patre, mortuo sine liberis, feudum ad patrem revertitur. Ratio est apud Præpos. in c. unic. n. 2. de Vafall de crep. etat. quoniam hoc casu pater non tanquam filij successor, sed primi adquirentis, & post succedentium habetur. In Feudis quippe agnationem inspicimus, & oculos ad stirpem communis agnationis dirigimus; à quo cum parens sit, meritò Feudum obtinet, atq; ita in Camera Imperiali pronunciatum esse, refert Mynsing. 3. obs. 93. Nec obst. quòd pater Feudo renunciavit, quia hujusmodi renunciatio finitur morte filij, cujus causa erat facta. l. jubemus & ibi

ibi notata per Br. C. ad Vellejan. l. pactum ubi Bl. C. de col-
lat. Præpos. d. loc. Hartm. Hartm. d. c. 47. Borch. d. c. 7. p. 2. n. 9.
Secundus casus est, qn. filius respectu patris, ob benè me-
rita patris, fuit investitus, tunc quoq; filio decedente sine
herede masculino, pater in feudo succedit. Alvarott. in c.
unic. n. 7. ibid. Matth. de Afflict. n. 2. de natur. success. feud.
meritorum quippe ratione multa permittuntur, qua alias
vix permitterentur, ut tradit prolixè Tiraquell. in l. si un-
quam. sup. verb. donatione largitus. num. ii. & seqq. C. de
revocand. donat.

VII.

De successione igitur descendentium, & transversa-
lium tantum agemus. Illorum prior & potior causa est;
l. 7. de bon. damnat. l. Scripto. si tabb. testament. nullæ extab.
Per descendentes autem non solum filij filiarum, sed largo mo-
do nepotes neptesve intelliguntur. l. liberor. ff. de U. S.
Horum alij rursus sunt naturales & legitimi simul; alij
naturales tantum; alij legitimi tantum, alij deniq; legiti-
mati.

VIII.

Et quidem jure feudali, quin Naturales & Legiti-
mi simul succedant, nullum dubium est, c. un. in pr. de
success. fratr. ac in eo concordat cum jure communi: in eo ve-
rò discrepat, quòd liberorum nomine hic solos filios & nepo-
tes ex filiis, pronepotes ex nepote, ex filio, & sic deinceps,
non etiam filias, aut nepotes, neptesve ex filiabus, aut
pronepotes, proneptesve ex nepte, ex filia natos intelligimus.
c. unic. de success. fratr. c. un. in pr. de nat. success. feud. c.
un. §. hoc a. notandum, de his qui feud. dare poss. Mozz. de
accid. feud. n. 6. Clar. in §. feudum. q. 73. Sneid. p. 6. de success.
feud. ab intest. Zafl. p. 8. n. 36. Ratio est, quoniam bellorum
necessitas

necessitas peperit feuda: bello autem gerendo femina minus idonea sunt: tum etiam, quod publica honestas non patitur, ut ceteri virorum se immisceant: ut omittatur, quod fragilia feminarum sint consilia, quod lubrica vota, quibus adversus propria commoda laborant, l. 4. C. de Sponsal. Et saepe in perniciem substantiae earum convertuntur, §. 1. quib. alien. lic. vel non. Atqui, dices, cessant haec rationes in filio nato ex femina. Resp. Dominus feudum concedens, singulari amore, & favore prosequitur familiam Vasalli accipientis, nihilque minus vult, quam ut ad feudum perveniant, qui seorsim ab ea familia sunt. Femina autem nubendo suam claudit familiam, & in aliam transit, unde caput & finis familiae dicitur. l. pronuntiatio de V. S. Et per consequens, non poterit ex ea natus filius admitti. Hartm. Pistor. l. 2. quaest. 34. n. 1. VVesemb. c. 6. n. 22. Vult. d. c. 9. n. 26. & 27.

IX.

Ac in tantum filia, itemque nepotes ex filia, a feudi successione removentur, ut etiam tunc non admittantur, cum defuncto, eo tenore feudum datum est, ut ejus descendentes masculi & feminae in eo succederent: extantibus enim filiis, filia, aut nepotes ex filia, non succedunt, c. unic. §. filia vero de success. feud. Rol. à Vall. 1. consil. 68. n. 40. 2. consil. 41. n. 4. Et copulativa, ET, quae alias conjungit. l. un. §. si vero C. de caduc. toll. l. si mihi in pr. l. si duobus. l. si pluribus in pr. l. planè §. si conjunctim de legat. 1. hic ordinem successivum significat, & verba copulat, non sensum, Rol. à Vall. 3. consil. 58. n. 67. Borch. c. 7. p. 2. n. 35.

X.

Quod eò usque communiter extendunt, ut filia semel exclusa, semper exclusa censeatur.

Gravis haec est quaestio, ac partem in utramque à praestantur.

præstantissimis viris agitata. Qui Thesin defendunt, uruntur se-
quentibus. I. c. unic. ibi. quin etiam, si quis eo tenore feu-
dum acceperit: ut ejus descendentes masculi, & fœminæ illud
habere possint: relicto masculino, ulterius fœminæ non admit-
tuntur. Episcop. vel abbat. II. Quoniam jus semel extinctum
reviviscere non potest. l. 3. §. si capite. ff. de oper. libertor. l. in
rem actio. ff. de R. V. l. item si ex eis §. arbor de acquir. rer. do-
min. l. inter stipulantem §. sacram de V. O. Jus a. succedendi,
in fœmina per existentiam masculi semel extinctum est. Ergo.
III. Quoniam quævis res facile ad suam naturam revertitur. l.
si unus §. pactus ne peteret. de pact. c. ab exordio 25. distinct.
Roland. à Vall. q. 19. n. 3. de lucr. dot. Tiraq. in tr. de pen. caus.
51. n. 13. ver. libert. n. 31. C. de revoc. don. Vasq. 2. contr. 56.
n. 14. & c. 82. n. 4. Propria autem hæc feudi natura est, ut fœ-
mina ab ijs arceatur, ad quam reditur, si dicamus semel exclusam
perpetuò exclusam manere: quo argumento utitur Hart. Pistor.
lib. 2. q. 36. n. 4. ver. quinto. Et hanc opinionem tenuit BL. Al-
varott. in d. c. un. Episcop. vel abbat. Zas. p. 8. n. 58. Borch. d.
c. 7. p. 2. 36. quam communem dixerunt Duar. de Feud. c. 10. n.
12. Mynsing. 5. obs. 74. n. 4. Geil. 2. obs. 148. n. 1. Vvesemb. c.
6. n. 12. & consil. 74. n. 19. *Qui verò eam impugnant, nu-
mero quidem pauciores sunt, sed tamen ij tales, quos verosi-
mile est, non nisi bona aliqua ratione permotos in eam opinio-
nem descendisse.* Et sanè magna æquitatis ratio suadet, ne di-
ligentem primi acquirentis provisionem inanem statuamus,
quæ hæc fuit, ut semper ad suos heredes deveniret feudum,
hoc est, tam fœminas, quàm masculos. Nam, ut Feudista ait. 2.
Feudor 18. Unusquisq; suis potiùs heredibus, quàm extraneo
prospicere præsumitur. Quin in exorbitantibus à jure com-
muni, vel potiùs æquitate, hæc erit in feudis facienda interpre-
ratio, ut quàm proximè ad eam accedat. arg. c. 1. ver. strenuus
de feud. cognit. hac autem interpretatione admissa, quin ma-
gis æquitatem premamus, ac jus commune, constat. De hoc
nemo peritus juris nostri dubitat, de ea patet; quoniam aliàs
naturæ accusatores existimus, cur non in totum masculos pro-
duxerit,

N

duxerit,



duxerit, ut non esset unde provenirent: ceu rationatur l. ma-
gnum vitium. C. de liber. præter. ut rectè dixit Raphael Ful-
gos. consil. 8. vers. neq; hujus sententiæ. & consil. 12. n. 2. in fin.
Hanc opinionem humaniorem, & tam Juri scripto, quàm
naturali justitiæ convenientiorem esse: & antiquiorem, ac
veriorem se certò credere, testatur Mynsing. 5. obs. 74. Quod
insuper hac ratione confirmatur; Provisio hæc Vasalli, haud
dubiè in casum mortis ipsius facta est, ut scilicet, moriente ipso
superstitibus liberi relictæ feudi participes sint, & quidem illi, qui
aliàs jure capaces feudi non sunt, ut filia. At si communem se-
quuti fuerimus, nunquam provisio hæc illum effectum conse-
qui poterit: nisi filio nullo extante: cùm tamen ex verbis con-
stet, ipsum pro masculis, & fœminis feudum acquisivisse, &
cum maximè casum collimasse, quo post mortem ipsius, &
masculus, & fœmina extarent. Nam masculo nullo extante
planè inutilis, & supervacanea hæc erit quæstio: cùm jam non
pro masculis, sed fœminis saltem illud obtineat: cùm tamen
conditionem nos hîc spectemus, quæ in existentia masculor.
fundata est, & extare dicimus, cum illi decesserint: quæ eadem
ut sit, quemadmodum esse debet, omninò requiritur, ut ma-
sculus aliquis extet, quo deficiente heres ei erit; aliàs enim con-
ditioni tempus addimus, quod est contra naturam conditio-
nis. Deniq; hanc sententiam confirmat textus satis clarus in
c. unic. ibi: donec masculus superest, de eo qui sibi vel heredib.
suis mascul. Dictio enim, *donec*, non perpetuò excludit, sed
temporaliter, & contemplatione certarum personarum. Br. in
l. ult. ff. ad Tertul. atq; hanc sententiam multis argumentis
confirmavit. Pistor. d. quæst. 36. n. 11. & seqq. VVesemb. c. 6.
n. 23. de Feud. Rosenth. 7. concl. 96. & secundum eam aliquo-
ties respondisse collegium Jctorum in Academia Marpur-
gensi refert Vult. d. c. 9. n. 52. in fin. Non obst. d. c. unic. Episcop.
vel abbat. quoniam non absona est interpretatio, si vocabulum
ULTERIUS ad existentiam masculorum referamus: h. e. non ad-
mitti fœminas, vivente masculo: eo tamen mortuo, quo minus
succedant. d. c. non negat.

Succedant

Conditio hæc est: Si ego decedens
relinquo masculum & fœminam,
ubi o extante, h. e. post mortem mortuo
masculo, fœmina admittit. Illo
v. extante, ubi o ipse fœminæ
admittit.

Succedunt tamen rectè fœmina, si loci consuetudine idreceptum sit, Dec. consil. 449. n. 19. & 20. Zas. p. 8. n. 42. VVesemb. c. 6. n. 22. Sneid. p. 7. c. 4. n. 77. cùm enim feuda per consuetudinem introducta fuerint, debent etiam à consuetudine regulari. Jul. Clar. in §. feudum q. 47. n. 9. Borch. d. c. 7. p. 2. n. 64. quod idem an induci possit speciali alicujus familia consuetudine? Vide quos allegat Vultej. d. c. 9. n. 48. De feudo emptitio major est Dd. nostror. disceptatio, quibusdam fœminam in eo ex sui natura succedere affirmantibus, ut Jas. in l. 1. n. 51. C. de jur. Emphyt. Roman. cons. 367. n. 12. ver. fallit quarto: & communè esse respondit Gribald. in Thes. comm. opin. lit. F. in verbo in feudo empto, Gabriel. lib. 3. concl. sub. Tit. de feud. concl. 2. in pr. Clar. d. q. 63. n. 6. & in Camera Imperiali sic pronunciatum refert Geil. 2. obs. 159. n. 5. Ratio est, quia feudum emptum habetur loco bonorum allodialium, quorum non minùs capaces sunt fœmina quàm mares. Tiber. Decian. 2. consil. 58. n. 50. Plurimis per contrarium, & quidem rectiùs, id negantibus. Zas. p. 8. n. 37. & p. 12. n. 21. Hartm. Pistor. q. 38. n. 45. Hanner. lib. 2. feudor. 8. VVurmser. pract. observ. tit. de Feud. obs. 17. Sonsbec. p. 9. n. 121. Borch. d. c. 7. n. 65. & magis communem, & veram dicit Kirchoy. in Th. comm. opin. lit. F. ver. in feudo emptitio: & in Camera pronunciatum ita esse scribit Mynsing. 5. obs. 73. n. 4. Ratio est, quia generaliter traditum est, fœminas in feudis non succedere, nec exceptum reperitur feudum emptum. Ergo. An etiam in feudo ligio succedant fœmina? Affirmant Curt. Jun. p. 1. q. 8. n. 26. Marin. tit. 11. n. 24. & alij quos allegat. Borch. d. c. 7. n. 70. Vult. d. c. 9. n. 43. Negamus. Schrad. p. 7. c. 4. n. 9. Borch. d. loc. Vult. ibid. An in feudo franco? Affirmat Tit. extraordinarius 104. Rom. fing. 180. ubi ad ditionator Nicol. Pignolat. plures allegat. Cujac. in c. unic. §.

7
quoniam etiam Episcopus. vel abbas. Decian. 2. consil. 58. n. 39. Hart.
Pistor. q. 34. Negant multi: & inter eos, Panorm. c. 10. num. 7.
Hannett. 2. Feud. 8. Fr. Curt. 3. part. n. 5. quos allegat Borch.
c. 7. n. 68. Schrad. d. p. 7. c. 4. n. II. Rationes eorum habet, Vult.
d. c. 9. n. 41. Videamus, utrum femina succedant in feudo,
quando feudum est femineum, sive muliebri, id est, quando
mulier primum de feudo fuit investita? *Affirm.* c. I. ibi, nisi
ex pacto, vel nisi femineum sit. de natur. success. feud. c. I. de
feud. fem. c. I. §. fin. de success. feud. c. I. de success. frat.
Vvesemb. c. 6. n. 22. Duar. c. 10. n. 14. Borch. c. 7. num. 96.
Vult. c. 9. n. 40. ubi contraria argumenta assert, & eorum
sequaces. Addunt superioribus nostri mortuo patre sine
filijs feminam succedere, si femina feudum redimat, vel do-
minus, cui morte vasalli feudum apertum est, feminam ex
peculari gratia investiat. c. I. quemadmod. feud. ad fil.
pertineat. Borch. d. c. 7. n. 72. Schrader. c. 4. n. 49. quan-
quam, ut ad d. c. ait Cujac. redemptione potius id habeat fi-
lia, quam successione sequitur Vultej. d. c. 9. n. 46.

XII

Filij verò naturales & legitimi simul, aequaliter
succedunt, & feudum inter se, sicut bona allodialia, in ca-
pita pro numero personarum dividunt, c. unic. §. & quia
vidimus. de his qui feud. dar. poss. c. unic. de success. feud.
Henning. Goed. cons. 6 num. II. Borch. c. 7. p. 2. num. 40.
nec refert, illi sint in patria potestate constituti, an verò
emancipati Fr. Curt. p. 3. in 2. memb. n. 2. Mozz. de subst.
feud. n. 68. Schrad. p. 7. c. 5. n. II. cum ibi allegat. Ratio du-
bitandi apud Sonsbec. p. 9. n. 59. est, quia per emanci-
pationem desinit esse agnatus, & manet saltem cognatus,
qui ad feudi successionem non admittitur. 2. Feudor. 11.
Ratio decidendi est, apud Vult. d. c. 9. n. 89. sive ex eodem
matr-



matrimonio procreati fuerint, sive ex diversis. Cum enim utrobiq; par sit ratio, ut ait focer meus D. Virgil. Pingitz. consil. 6. numero 7. Et eadem causa formalis vocationis, utriusq; scilicet agnatio, qua per patrem tantum contrahitur, atq; inde nomen, familiam, arma, & insignia, ac cetera iura consanguineus, non minus quam germanus à patre recipit, utiq; non immeritò etiam utrumq; sequitur idem effectus, eademq; successio. per text. jun. gl. in verb. reddi. l. à Titio de V. O. c. scir. debet. 76. distinct. sive instituti, sive prateriti, sive etiam exheredati fuerint, parùm refert. Schrad. d. c. 5. n. 12. Zaf. p. 8. n. 7. VVef. c. 6. n. 9. Vult. d. c. 9. n. 96.

XIII.

Quòd si cum filijs reliquerit defunctus pramortui filij nepotes, illi proinde cum patruis admittuntur, ac si parens viveret, c. un. de success. feud. Roland. à Vall. i. conf. 68. n. 22. cum seqq. Borch. d. c. 7. p. 2. n. 46. quod et verum est, si nepotes soli ex duobus filijs existant. Hi enim perinde, ut ipsorum parentes, avo in stirpes non etiam in capita succedunt. Bl. in l. 2. n. 4. C. de suis & legit. Borch. d. lo. n. 46.

XIV.

Naturales autem liberi, sive illi sint ex concubina dominati, sive spurij, qui & vulgo concepti, sive adulterini, aut incestuosi, nullo modo in feudis succedunt. 2. Feud. 26. §. naturales. cum quòd honestè in curia domini stare non possunt, tum quoniam patrem demonstrare jure non possunt. l. vulgo quæsit. de statu homin. §. vulgo de success. cognat. Clar. in §. Feudum. q. 82. n. 1. VVesemb. c. 6. n. 9. Scrad. d. c. 5. n. 20. cum ibi allegat. Vult. d. c. 9. n. 91.

N 3

Legiti-



XV.

Legitimorum tantum, qui et adoptivi dicuntur, nulla jure feudali successio est, d. tit. 26. §. adoptivus. Rationem hanc reddit Cujac. quoniam feuda dantur sanguini, adoptio autem jus sanguinis non adfert, l. qui in adoptio. ff. de adopt. Et verò nisi hoc ita constitutum esset, facile fieri potuisset, ut domino feudi etiam invito, vasallus ex aliena familia solius Vasalli voluntate adscisceretur, quod fieri non debere textus innuit, in c. 1. in fin. de fratrib. de nov. benef. invest. Vult. d. c. 9. n. 90. de feud.

XVI.

Legitimati verò, ut non ejusdem generis, sic nec ejusdem juris sunt. Legitimati enim per oblationem curia, quia jus civitatis tantum consequuntur, non etiam jus agnationis, soli patri non etiam agnatis in feudis succedunt. Borch. d. c. 7. n. 53. quod nostri restringunt ad feudum à patre acquisitum, post legitimationem factam. Sonsbecc. p. 9. n. 66. Vult. d. c. 9. n. 93. Per rescriptum verò principis legitimati, in feudis non succedunt, nisi nominatim ad feuda sint legitimati. Mynsing 5. obs. 42. Geil. 2. obs. 142. n. 12. De legitimatis autem per subsequens matrimonium magna Feudistarum est controversia, an ipsi in feudis succedant?

Comm. Dd. affirmant. I. quia matrimonium subsequens omnem maculam purgat, atq; efficit, ut etiam is, qui ante matrimonium natus fuit, verè legitimus sit c. tanta. ibid. Dd. extr. qui filij. II. arg. c. cum in cunctis jun. c. innotuit, & quæ ibi not. gl. de Elect. Nam in d. c. cum in cunctis, dicitur, Episcopum debere eligi natum ex matrimonio legitimo, & tamen in d. c. innotuit jun. gl. comm. probata, dicitur, etiam naturalem per subsequens matrimonium legitimatum posse Episcopum eligi. III. Quoniam & in statutis, quæ alias strictè sunt interpretanda, veniunt

veniunt
obs 14
filijs le
comm
gumen
rum su
stitutu
niam i
pretati
non re
§. fin.
noch.
admitt
12. Er
dijs ad
ubi ita
ctum r
amfi m
conseq
inter e
sunt ex
id prin
feudis
Ergo n
& hun
ens. J
ea arri
nigniu
autem
faciliu
public
natis c
nulli.
d. c. N
ejus sp

veniunt appellatione legitimorum, ut probat eleganter Gail. 2. obs 141. & Emphyteusin ab Ecclesia concessam alicui pro se & filijs legitimis, obtinere possunt legitimated. Phil. Port. libr. 4. comm opin. 37. ab Emphyteusi autem ad Feuda procedit argumentatio. Euerhard. in loc. ab Emphyt. ad Feud. & per eorum supervenientiam rumpitur Donatio, testamentum, & substitutum excludunt. Michaël Nizol. alleg. 1. n. 10. IV. Quoniam in ambiguitatibus juris feudalibus, ea facienda est interpretatio, ut quoad ejus fieri possit, à juris communis regulis non recedatur, nevé eisdem derogetur, l. un. C. de inoff. dot. §. fin. Nov. de exhib. reis l. præcipimus C. de Appellat. Menoch. 2. arb. jud. quæst. cas. 199. n. 21. Jus autem commune eos admittit. l. cum quis C. de naturalibus. §. dubitatum Novell. 12. Ergò. V. Effectum rei ubi habemus, non curatur de medijs ad eam ducentibus, arg. l. insulam. 6. ff. de præscr. mob. l. ubi ita donatur. de donat. caus. mort. At in casu nostro, effectum rei, scilicet legitimos habemus, quod negari nequit, etiam si media non sint uniformia: quæ non attendimus. Et per consequens, tam hi, quàm legitimè nati succedent, quoniam inter eos nullum est discrimen, nisi respectu mediorum. hi n. sunt ex nativitate tales, illi verò non item. VI. Quoniam id princeps ex justa scientia facere potest, ut scilicet legitimated in feudis succedant. Belvis. Ifern. & Dd. in c. naturales tit. 26. Ergò multò magis poterit matrimonium, quod favore divini & humani juris suffultum est. Quo argumento utuntur Hostiens. Joh. Andr. Cardin. & alij in d. c. Tanta. VII. In dubijs ea arripienda est opinio, quæ benignior & favorabilior est. l. benignius ff. de legibus. l. semper in dubijs ff. de R. J. Communis autem hæc talis est, quoniam successionem tribuit, & homines facilius ad legitima impellit matrimonia: ex qua re & in republicam hæc summa commoditas redundat, quòd illa benè natis civibus repleatur, l. 1. ff. sol. matrim. *Negant verò nonnulli.* Et illi quidem apertum habent juris feudalis textum, in d. c. Naturales tit. 26. lib. 2. in quo negato genere, & omnes ejus species facilè repelluntur. Utuntur & rationib. I. Quoniam

vix

vix videntur honestè posse stare in curia domini, cum cicatrix semper maneat, nec veritas fictione ulla obumbrari possit. II. Quoniam feuda non à parentibus, sed à dominis directis proficiuntur, ideò videtur absurdum, legitimatum ad Feudalia beneficia, quæ aliunde quàm à parentibus profecta sunt, jure legitimationis admitti debere. III. Quoniam taciti non debet major esse vis quàm expressi. l. 3. ibi not. de reb. credit. Legitimatio autem per Rescriptum principis fit expressè, nec tamen succedunt in feudis. Per subsequens autem matrimonium fit saltem tacitè. Ergo. Quæ opinio verior? Elige cui dicas, tu mihi sola places.

XVII.

Et hæc quidem, quæ de liberorum successione diximus, procedunt tum demum, cum illis non obstat qualitas aliqua, quæ à successione illos repellat, ut si nati sint ex eâ uxore, cum qua matrimonium sub tali conditione contractum est, ne filij ex ea procreati succederent. c. unic. §. filij d. t. 26. libr. 2. qui textus rectè à Cujac. negative legitur. IN FEUDO NON SUCCEDUNT. ut præter contextum probat tit. 2. libr. 2. Feud. vel si parens eorum, sine debita solemnitate feudum obtinuerit, ut est casus in c. un. quib. mod. feud. const. pot. vel si clericatum adsumpserint. c. un. §. ex hoc illud descendit. de feud. fœm. Nam qui factus est miles Christi, seculi esse desinit. c. un. de Vasall. milit. qui arm. bell. vel furiosi, mente capti, aut aliàs imperfecti sunt. v. supr. disp. 3. Th. ult. de quibus celebris extat antinomia inter tit. 36. libr. 2. Feudor. & tit. 6. in fin. libr. quam sic compono. Vel tales nati sunt, & nulla erit successio, vel ex accidenti facti, & omninò successerunt capaces. Utrumq; casum explicat d. t. 36. libr. 2. priorem verò d. t. 6. vid. Hartm. Pistor. q. 32. Zas. p. 8. n. 68. Borch. d. c. 7. n. 63. Vult. d. c. 9. n. 64.

Sequuntur

XVIII.

Sequuntur collaterales, qui deficientibus descendantibus ad feudi successionem vocantur. c. unic. de nat. success. feud. c. un. de success. frat. non quidem promiscuè omnes, sed soli agnati. d. c. un. de nat. succ. Ratio est apud Cujac. in c. unic. de his qui feud. dar. poss. nec ad successionem cujusvis feudi, sed solius paterni, sive antiqui. c. un. §. si duo fratres. de Feud. March. c. un. in fin. de success. feud. c. unic. de benef. frat.

XIX.

Inter quos primum locum obtinent fratres, & eorum, si mortui sint, liberi, qui jure representationis cum patruis patruo in stirpes succedunt, c. i. §. his verò de success. frat. quitamen si soli extent, nullis viventibus patruis, defuncto patruo in capita, non etiam in stirpes succedunt. Zas. p. 8. n. 18. Mynsing. 3. obs. 94. Gœden. consil. 68. VVesemb. conf. 84. Thesaur. decis. 162. Borch. c. 7. n. 82.

XX.

Post quos admittuntur alij transversales gradu proximiores, c. un. in fin. de success. feud. proximitatem autem intelligimus respectu Vasalli defuncti, non respectu ejus, qui feudum primus acquisivit. Rol. à Vall. 1. consil. 100. n. 20. Borch. d. c. 7. n. 84.

XXI.

Hoc loco occurrit celebris dubitatio, quousq; agnatorum successio extendenda sit? Nam in c. i. de natur. suc. & c. i. si Vasall. feud. privet. cui defer. respondetur in infinitum extendendam esse, per contrarium verò in c. i. §. hoc quoq; sciendum qui feud. dar. poss. & c. ii. §. hoc quoq; observat. de succ. feud. statuitur ad septimum gradum eam coarctandam esse; & quidem priorem sententiam sequuntur. Zas. p. 8. ver. tertia conclusio. Baro Schenck. Hotoman. in d. §. hoc quoq; sciendum Sonsbec. p. 9. n. 84. Duar. c. ii. n. 16. Hannel. 2. Feud. §. Jul. Clar. in §. feudum. q. 69. quos refert, & sequitur, Hart. Pi-

stor.

stor. q. 19. n. 26. *addita hac ratione, quia de descendantibus generaliter definitum est, eos in infinitum succedere, d. §. hoc quoque sciendum. Omnes autem illi, qui à primo acquirente descendunt, licet defuncto ex latere conjuncti sint, per investituram primi acquirentis succedunt, atque hinc ipsius descendentes esse censentur. c. 1. §. si capitanei. de feud. mar. Non verò obstant superiora capitula, quæ de septimo gradu loquuntur, quoniam, ut Duar. Hotom. Cujac. censuerunt, illud ita olim obtinuit, usu verò paulatim immutatum, & in infixitum porrectum est: quemadmodum & ex dictis capitulis in confesso est aliam atque aliam formam sæpius ex usu succedendi rationem accepisse. Instat verò Paris, in consil. 23. cir. fin. in vol. 1. ex textu in c. satis benè. de proh. feud. alien. per Frider. ubi dicitur, tum demum feudum usque in infinitum transire, si hoc actum erit. Unde colligit, si hoc actum non erit, rem aliter se habere. Considerat insuper Paris, quòd secundum juris civilis rationem usque ad decimum tantummodo gradum succedatur, & cum successio feudalis ætioribus semper finibus fuerit circumscripta. c. 1. §. & quia vidimus, qui feud. dar. poss. benè duci argumentum posse putat, non in infinitum extendendam esse: de quibus inter disputandum.*

XXII.

An agnatus vel filius possit retinere feudum repudiata hereditate? hujus loci quaestio est.

Tractat eam Feudista in tit. 44. lib. 2. Feudor. & latissimè Hart. Pistor. lib. 2. quaest. 2. in varias opiniones diffusa est, ut patet ex Fachin. 7. controvers. 5. equidem rem expeditissimè sic resolvi posse arbitror: agnatum videlicet feudum hereditarium non acquirere repudiata hereditate, acquirere verò ex pacto & providentia, etiam hereditate repudiata: filium autem, sive feudum hereditarium sit, sive ex pacto & providentia, non posse hereditatem, feudo repudiato, obtinere. Ceph. consil. 224. Sonsbech. p. 9. n. 160. rationem differentiae

inve-



investigant nostri, quæ uno verbo ex Bald. in c. unic. de feud. cognit. reddi potest, in feudilib. non curanda esse strictam rationem, sed consuetudinem. Duar. tamen. c. ii. n. 9. eam adscribit pietati, quam filius parenti debet; quasi inhumanum & injuriæ plenum sit, repudiare ejus hæreditatem, aliam habet Hotoman. in disputat. feudal. c. 19. quam refert Vult. c. 9. n. 114. de Feudis à qua alienus non est Cujacius in d. titulo 44. & ea quidem differentiæ ratio est inter filium & agnatum: de agnati autem diverso succedendi modo, respectu hæreditarij, vel non hereditarij, aut quod nostri ex pacto & providentia appellitant. vide Andream Gail. 2. observat. 154. & quos copiosè allegat. Vult. d. loco.

Ad Respondentem.

DANIEL VENEDIGER
VRATISLAVIENSIS

ἀναγκαστικῶς

Juris in arte vales: inde laus dignè.

IURIS IN ARTE VALES: Themidi quia deditus almæ es:
INDEQUE LAUS DIGNE te manet, atque decus.

Elias Reusnerus Leorinus.

Medic. Licent. & Histor. atq;

Poët. Prof. P.

ERGO iterum in medium DANIEL doctissime prodis:
Claraq; Feudorum reddere jura studes?

Nempe Tibi stimulos acres in pectore versat

Et Patris, & Fratris nescia fama mori.

Macte tua virtute, & cœptum gnaviter urge,

Sic poteris fratrem, sic superare patrem.

And. Langius Niss. Siles.

Sic ubi tentavit vires gladiator in umbrâ,

Pugnam lacepsit publicam:

Ut tu nunc DANIEL, certus mihi frater amoris,

Astræe alumnus inclytæ,

Tute

Tute, inquam, in Solem prodis, Jurisq; cathedram
Non absq; plausu distines.

Quis non hanc VENETI sacram certamine lucem
Albo notet lapillulo?

Quis non iam VENETO faveat linguaq; animoq;
Dicatq; MACTE DANIEL?

Matth. Bilizerus.

POL, DANIEL, (nec enim mea me Cortina fefellit
Huc usque) caput & animum habes.

His si namque fores sine, non toties Lare privo,
Non disputares publico.

Sic eat: Eunomiam veneraris; & ipsa Dynastas
Inter reponet te suos.

Laurentius Bolck.

Martisburg. Misn.

Dispercam, si non mentem ex meliore metallo
Deucalion finxit, VENETE chare tuam.

VENETE, quem concors firmo mihi foedere iunxit
Non discingendo foedere Amicitia.

Ingenii bonitas adeo & praestantia, sese
Exeruit claris haecenus usq; notis.

Scit RITTERSHUSIUS nostri doctissimus avi,
FORSTERUS Themidos novit ocellus idem.

SCHROTERUSq; & ARUMAEUS: sine vulnere,
Pugnasti toties impiger auspiciis. (quorum

Quantum est luminibus posse innotescere tantis?

Quantum Isdem ingenium posse probare suum.

Plus certè, liquidus quam si te rivus inaret

Fortunæ, tibi quanquam hoc quoq; jure precor.

Nam dum jura probè calles feudalia, feudum

Nonnè cui detur nobile, dignus eras?

Amoris testandi gratia F.

Nicolaus Henelius.


F I N I S.

01 A 6651

ULB Halle

3

003 108 422



LD 17

Reh 0







DISPUTA-
TIO FEUDALIS

SEXTA,

DE SUCCESSIONE FEUDI,

QUAM,

Auxilio SS. Trinitatis,

PRÆSIDE

VIRO

Excellentissimo, Clarissimo,

DN. DOMINICO ARUMÆO,

I. U. D.

Publicè

In auditorio Iureconsultorum
defendet

DANIEL VENEDIGER

VRATISL. SILES.

Ad diem 14. Februarij

Horis consuetis.



JENÆ,

è Typographéo Christophori Lippoldi,

ANNO MDCIII.

2a

(242)

volenti

en. per
non va-
mnino
uit, qua
de ca
ficut &
ec sunt
tiones
Fun-
Qua-
criptio
ò id

VI.

